

**C.A.P.E.S.**  
**CONCOURS EXTERNE**

**Section : LETTRES CLASSIQUES**

**VERSION LATINE**

**LE GENRE HISTORIQUE ET LE GENRE ORATOIRE**

Me vero ad hoc studium impellit domesticum quoque exemplum. Avunculus meus idemque per adoptionem pater historias et quidem religiosissime scripsit. Invenio autem apud sapientes honestissimum esse maiorum vestigia sequi, si modo recto itinere praecesserint. Cur ergo cunctor ? Egi magnas et graves causas. Has, etiamsi mihi tenuis ex iis spes, destino retractare, ne tantus ille labor meus, nisi hoc quod reliquum est studii addidero, mecum pariter intercidat. Nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non inchoato est. Dices : 'Potes simul et rescribere actiones et componere historiam.' Utinam ! sed utrumque tam magnum est, ut abunde sit alterum efficere. Unodevicensimo aetatis anno dicere in foro coepi, et nunc demum quid praestare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video. Quid si huic oneri novum accesserit ? Habet quidem oratio et historia multa communia, sed plura diversa in his ipsis, quae communia videntur. Narrat illa narrat haec, sed aliter : huic pleraque humilia et sordida et ex medio petita, illi omnia recondita splendida excelsa conveniunt ; hanc saepius ossa musculi nervi, illam tori quidam et quasi iubae decent ; haec vel maxime vi amaritudine instantia, illa tractu et suavitate atque etiam dulcedine placet ; postremo alia verba alius sonus alia constructio. Nam plurimum refert, ut Thucydides ait, 'ktêma'\* sit an 'agônisma'(\*) ; quorum alterum oratio, alterum historia est. His ex causis non adducor ut duo dissimilia et hoc ipso diversa, quo maxima, confundam misceamque, ne tanta quasi colluvione turbatus ibi faciam quod hic debeo ; ideoque interim veniam, ut ne a meis verbis recedam, advocandi peto.

(\*) mots donnés en grec dans la version du concours avec les indications suivantes : 'ktêma' = un bien ; 'agônisma' = une lutte

PLINE LE JEUNE, *Epistulae*, V, 8, 4-11